



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Illvstri Et Generoso Comiti Et Domino, Domino Henrico Lvdovico Comiti In
Nassau, Catzenelenbogen, Viandem & Dietz, Domino in Beilstein, & c. S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315



ILLVSTRI ET GENEROSO

COMITI ET DOMINO, DOMINO

HENRICO LVDOVICO COMITI IN

Nassau, Katzenelenbogen, Viandem & Dietz,

Domino in Beilstein, &c. . . S.



ON est fermè quisquam rerum præteritarum cognitione adeo leuiter tinctus, Illustris ac Generose Comes, qui nesciat quanta seculo post natum Christum decimoquinto rerum ad Religionem spectantium in orbe Christiano conuersio facta sit, in Germania præsertim Europæ florentissima parte, & Romani Imperij sede amplissima. Et enim postquam noluit clementissimus rerum conditor homines ambitioni & auaritiæ mancipatos Veritatem suam in iniustitia diutius detinere, cõplures

Potentissimos Germaniæ Principes eo seculo excitauit Deus, qui à viris pietate & doctrinâ insignibus admoniti, de Religionis Reformatione seriò cogitare cœperunt, ac doctissimorum hominum, qui solum bonæ conscientiæ lucro ducebantur, exquisitis & intellectis sententiis superstitioni ac idololatriæ Pontificiæ renuntiarunt, atque eorum quæ Sacerdotum incitiâ aut improbitate in Religionem inuecta erant, emendationem amplexati sunt. Inter eos etiam fuit Hermannus Archiepiscopus Coloniensis Sacri Imperij Elector, ex Illustri Veidentium Comitum familia ortus, qui adscito auditoque Martino Bucero, aliisque præcellentibus Theologis consultis, piam Deliberationem de Christiana Reformatione instituit, eamque scripto consignatam in lucem edicurauit; atque ex eius præscripto Reformationis negotiû quoad in ipso fuit, imminente inde Carolo V. Cæsare, inde Pontifice Romano fulminate, ac Clerû Coloniensem in suam Præsulem accendente, in sua ditione promouit, totûque in eo fuit, vt populo sibi commisso salutis adminicula suppeditaret, & lucem veræ Religionis, discussis errorum tenebris affulgere curaret. Nec eum penitus deseruit laboris effectus, adeo multi Principis optimi medente consilio & exemplo, ex cæco superstitionis morbo reualuerunt; licet vniuersi Ordines cœlestem lucem non tulerint: Capitulum siquidem Coloniense, quod prius Reformationis studio duci videbatur, Pontificiis facibus incensum Archiepiscopi cœptis obsistere & Reformationi repagula opponere cœpit, scripto Antididagmatis titulo aduersus Consultoriam sui Primatis Deliberationem euulgato. Cuius accuratam refutationem suscepta Christianæ Reforma-

Epistola Dedicatoria.

tionis quam moliebatur Coloniensis Præsul defensione, concinnauit Martinus Bucerus. Eam hæcenus typis non editam præclari cuiusdam viri, penes quem erat autographum, beneficio consecutus, publici iuris facere institui, ut quæ domesticorum Bucerum limen non erat egressa, fieret communis domesticorum fidei. Ac licet sola editionis opera mea sit, opus verò alienum, Illustri tuæ Generositati hoc quicquid est scriptiois consecrare ausus sum, te namque præstantiæ auctoris potius quàm tenuitatis editoris in hac dicatione rationem habiturum speraui. Siquidem auctor est Martinus Bucerus Theologus Germanus cum paucis comparandus, dotibus ingenij, pietatis & eruditionis ad eò excellens, ut non tantum Germaniæ summatibus viris gratus, sed etiam Eduardo V I. Anglorum Regi acceptus fuerit. Qui hoc in opere tantum non Hermanni Electoris laudabile institutum propugnat, verum cæterorum quoque Principum, quos pulsas Pontificiis tenebris, illibata Religionis radiis & castæ veritatis larga luce perfudit Deus, causam communem tuetur. Quis verò nescit Nassouios Proceres inter eos conspicuum locum iure meritoque obtinere: qui & suæ ditionis hominibus veritatis cœlestis splendorem procurant, & viros eruditos fouent, qui stylum Mercurij in falloquos Pontificiæ doctrinæ propugnatores stringant, dum & ipsi stylo Martis litem cernunt & armis. E quorum illustri & antiqua prosapia tot orti Scipiadae & magnanimi Heroës, tot fulmina belli Pontificiis terrorem incutiētia. Accessit quòd T. G. cœlestium rerum studium & disciplinas viro Principe dignas magnificere fama vulgauerit, testeturque vox eorum consentiens, quibus te Gécilitia bona magnæ Stirpis præferentem cernere, admirari, & propius venerari datum fuit: quorum ea est asseueratio in T. G. explendescere characterem Illustrium Domus Nassouicæ Dynastarum, qui fortitudine & armis inclyti, pietate quoque & in literas literatosque propensione insignes feruntur: qui cæteros mortales in admirationem, Te verò in imitationem trahunt vltro sequentem, & Heroicæ indolis instinctu, & præstantissimi tui Ephori D. Philippi Streiff à Lauvenstein viri genere, prudentiâ & eruditione eximie pollentis, hortatu ductuque. His itaque fretus T. G. interpellare ausus fui, ac sub eius auspiciis hoc opus in lucem emittere: qua in re si quid nimiam audaciâ fortis meæ tenuitatem non satis consulens deliquerim, condonet quæso tua Heroica Humanitas: Ipse interea Divinam ex animo precabor Clementiam, ut T. G. incolumem, ac totam Illustrem Domum Nassouicam florentem conseruet. Aurel. Allobrogum ann. Christ. M. D. C. XIII. Idib. Februarij.

*Illustri tuæ Generositati
addictissimus*

ALEXANDER PERNETVS
Typographus.